§. I.

Grauiſſimum ſalutaris doctrinae momentum, ideoque theologi aſſidua & repetita meditatione digniſſimum omni iure in ſalutis, cuius iacturam fecimus, ponitur reſtauratione ſeu ſatisfactione Ieſu Chriſti, quae etiamſi nullas inſidias experta eſſet, nullaque contra illam arma ab externis vel internis inimicis parata fuiſſent, ac pararentur, ſua tamen ipſius dignitate & ſuauitate ſuoque pondere ad ſedulam contemplationem diligentiſſimamque perſcrutationem, mentem attrahit atque inuitat. Quamobrem poſt tot, tantasque in grauiſſimo hoc religionis chriſtianae articulo controuerſias, repetitosque errores, quibus in ipſa eccleſia noſtra multiplici ratione, opus, quod pro nobis Chriſtus praeſtitit, ſalutare, impugnatur atque

vexatur, id officii nobis incumbit, vt quae ad ſtabiliendam firmandamque veritatem ac fidem noſtram faciunt, maiori diligentia pertractemus, & contra noua tela vel antiqua illa nouiter emiſſa, nos noſtrosque probe muniamus.

Quum autem in tota hac doctrina prima ſit quaeſtio illa, vtrum aliena iuſtitia ſiue vicaria ſatisfactione opus ſit, an absque illa, & forſan iuſtitia propria ſalutem impetrare valeamus: de neceſſitate ſatisfactionis paginis his agere, mecum conſtitui. Hac enim negata vel labefactata, ſanctiſſimae huius doctrinae ſtudium ac fidei in Ieſum Chriſtum valor & feruor penitus deſtruantur neceſſe eſt.

§. II.

Ne vero ambiguitatis quid voci ſatisfactionis inhaereat, breuiter eius ſignificatum attingere ac notionem, quam theologi noſtri illi ſubiiciunt, indicare ante omnia opus erit. Qui enim cum Socino faciunt, ſatisfactionis quidem vocabulum interdum, at non eodem tamen ſenſu, quo nos, ſed ſpurio & prorſus alieno adhibent. Si quis vtcunque praeſtat, quod obligationi reſpondet, ſatisfacere dicitur in Catech. RACOVIENSI & aliis ſcriptis. Huius igitur ſatisfactionis neceſſitatem libere largiuntur. *a*) Nobis vero omnia, quae pro

a) Catech. RACOV. edit. Langii Sect. VI. c. 8. de morte Chriſti. *Cur neceſſe erat, tot acerba pati, & tam atrocem mortem ſubire?* Chriſtus, primo, Dei conſilio & voluntate pro peccatis noſtris paſſus eſt,

pro nobis beatus redemptor ad reparandam ſalutem noſtram praeſtitit, ſatisfactionis nomine veniunt. Omnes nimirum, quibus tenebamur, obligationes noſtro loco perfecte perſoluit, poenas, nobis propter peccata infligendas, tulit ac perfectam legibus, quae ad nos pertinent, obedientiam pro genere humano praeſtitit, his que viam ad ſalutem noſtra culpa perditam rurſus aperuit, a poenis peccatorum noſtrorum nos liberauit, iuſtitiamque coram Deo valentem, felicitatisque aeternae ſpem indubiam reſtituit. Hinc ſatisfactio, quam Chriſtum praeſtitiſſe aſſerimus, vicaria, criminalis, liberans fuit. *b*)

eſt, & mortem cruentam tanquam victima piacularis ſubiit. Deinde, quod ab ipſo ſeruandi iisdem afflictionibus & morti eiusmodi plerumque ſunt obnoxii. Q. *Nonne etiam Chriſtus eſt mortuus, vt ſalutem noſtram proprie loquendo mereretur, & peccatorum noſtrorum debita proprie itidem loquendo diſſolueret?* Etſi nunc vulgo ita Chriſtiani ſentiant, tamen ea ſententia tum fallax eſt & erronea, tum admodum perniciosa, ſiquidem id ſibi volunt: Chriſtum aequiualentes pro peccatis noſtris poenas perſoluiſſe & obedientiae ſuae pretio, inobedientiam noſtram exacte compenſaſſe; alioquin dubium nullum eſt, quin Chriſtus ita Deo obedientia ſua *ſatisfecerit*, vt vniuerſam eius voluntatem pleniſſime compleuerit, & omnibus in ſe credentibus obedientia ſua remiſſionem peccatorum & ſalutem aeternam nobis ex gratia pepererit.

b) Satisfactio grammatice accepta notionem nimis laxam exhibet, quae, quamuis excludat acceptilationem Socinianorum, qua fingitur, iudicem contentum eſſe, *qualicunque* non integro & rigori legis exacte congruo obſequio: tamen cautius ad ſolum exinanitionis Chriſti ſtatum,

§. III.

Id igitur, quod Christus nostro loco perfecit, ad immunitatem poenarum nobis conciliandam, aeternamque salutem restituendam, medium fuit. Quod si tale erat, vt absque illo finis impetrari non potuerit, iure necessarium dicitur. Necessarium enim est, cuius oppositum est impossibile. Legis transgressio, & peccata nostra non solum obstant, quo minus Deus eam beatitudinem, quam generi humano decreuerat, & ad quam illud in creatione destinauerat, in nos conferat; verum etiam omnis miseriae fontem constituunt. Ad felicitatem illam promouendam, & miseriam depellendam nobis neque consilium neque vires supererant. Ea enim naturae humanae est ratio, vt non nisi bene ac recte agendo veram felicitatem assequi possimus. Nec sanctissimum numen, omnis prosperi-

tum, adeoque ad ea quae nostro loco praestitit, vt a reatu culpae ac poenae liberemur, & iusti reputemur, iure restringitur. Plura quoque pro bono nostro praestitit, & praestat adhuc, quae notionem satisfactionis non ingrediuntur. Satisfactio *criminalis* praestatur iudici a malefico, ad tuendam violatae legis auctoritatem & ne in exemplum abeat licentia delicti. Haec est *propria*, quam maleficus ipse de suo praestat; vicaria vero, quam praestat alius, qui vult, vt sibi crimen alterius imputetur, qua praestita, maleficus a poena liberatur. Haec satisfactio est *passiua*, sed actiua absoluitur obsequio praeceptorum legis perfecto. Hinc obedientia Christi recte diuiditur in passiuam & actiuam, quae duplex obedientia satisfactionem Christi efficit. Ita sacra Scriptura de hac re loquitur Philipp. II, 8. γενομενος υπηκοος in *agendo*, μεχρι θανατου *in patiendo*.

ſperitatis ac ſalutis fons, praemia verae ac conſtantis virtutis, iniquis boni ac recti poteſt impertiri contemtoribus. Vt autem recte faciamus, & felices euadamus, per labem & deprauationem naturae humanae non ſitum eſt in noſtra poteſtate. Tam deſperata itaque noſtra ſors erat, nec vlla in nobis eam reſtituendi copia, vt aliena omnino ope indigeremus, qua peccatum, &, quam ſecum trahit, miſeria aboleretur, nouae ad ſanctiorem vitam pararentur vires, receptiuitas operationum gratiae in homines peccatores reconciliatos reſtitueretur, legis iuſtitia, quae in nobis imperfecta eſt, impleretur, aeterna ſalus reſtauraretur, & Dei bonitas, ſanctitas, ſapientia, potentia inuiolabilis ſibique conſtans & ſemper eadem conſpiceretur. Eiusmodi medium neceſſarium erat, illudque per diuinam miſericordiam in Ieſu Chriſto eiusque ſatisfactione plena ac perfecta nobis conceſſum eſt.

IV.

Vicariam & qualem in ſacris litteris habemus, ſatisfactionem ex principiis rationis demonſtrare nonnulli quidem periculum fecerunt: verum enimuero, quamuis eiusmodi ſtudium, rationis placita & reuelationis argumenta rite combinandi, non penitus improbem; valde tamen dubito, an humana ratio tale quid quod myſterii plenum & ευδοκιας τȣ Θεȣ opus eſt, aſſequi valeat. Id certe ſtudium hoc incommodi habet, vt effata diuina per nimium philoſophiae amorem in

ſolam rationis lancem imponantur, ingenioque humano nimium tribuatur. Sunt omnino quaedam in hac doctrina rationi ſatis peruia, quae vero totam cauſſam neutiquam abſoluunt. Imperium illud diuinum, quod nemo ſanioris mentis negabit, absque legibus, per quas finis creationis rite impetrari debet, ne cogitari quidem poteſt. Leges vero motiua ſua, ſi quid valoris & auctoritatis illis ineſſe debeat, habeant neceſſe eſt, quae vel virtutis praemia, vel vitii incommoda ſeu poenae ſunt. Motiua autem a rebus futuris petita nullius momenti ſunt, niſi certe ſint euentura.

Proinde ſi Deo placuerit, ea, quae nobis noxia vel ſalutaria ſunt, & quae imbecillitas humana non omnimode perſpicere valet, ſupernaturaliter declarare, & motiua, quibus vehementiae affectuum frenum imponatur, grauiora addere: nullum ſane dubium eſt, quin ea, quae promiſit, quaeque minatus eſt, vere effecturus ſit. Immo ſocietas generis humani plane euaneſceret, ſi nullum iuſti ac iniuſti, mali ac recti foret diſcrimen, poenisque improbis infligendis ciuium bonorum ſecuritas, praemiis vero virtutis, recti ſtudium non promoueretur. Facili negotio etiam ratio humana videt, ſupremum numen, ſi ſalua eius ſapientia, ſanctitate ac bonitate fieri poſſit, vt genus humanum a poenis liberetur, medium quoddam inuenturum eſſe, quo ſaluti hominum proſpiciatur, iique in integrum quaſi reſtituantur. Sed vtrum tale

medium

medium exiſtat, & medium ipſum, eius ratio & modus, vicarius noſter, eius perſona, ſupplicia &c. rationi ſemper ſunt & manent imperuia, immo nec angelorum eximiae intelligentiae noſtra longe praeſtantiori, myſterium hoc aſſequi datum eſt. *a*)

§. V.

Sufficit, rationem humanam omni etiam virium contentione adhibita nihil in hac doctrina vel abſoni vel Deo indigni reperire; ſed poſtea quam benignum de noſtra expiatione decretum reuelatum ac probe cognitum fuit, ſummam potius in eo Dei ſapientiam, bonitatem, ſanctitatem, potentiam, & ſummi numinis perfectionibus conuenientiſſimum conſilium, niſi ad lucem meridianam coecutiat, admirari debet. Facillime quoque perſpicit, ſi aliud quoddam ſalutis medium poſſibile fuiſſet leuius, ſine dubio Deum id ipſum electurum fuiſſe. Crudelitatis certe ac iniuriae foret, in ipſo filio Dei tam atrocia ſtatuere ſupplicia, ſi finis minoribus impenſis impetrari potuiſſet.

Noſtra vero fides, diuina ſ. litterarum nititur auctoritate, in quibus hoc medium ſalutis ex ſatisfactione Ieſu Chriſti oriundum, idque vnicum, nobis pro-

a) Fuſius de hoc argumento egit H. GOODRIKE in tentam. Iurisprudentiae rationalis, de iure puniendi diuino & humano, Groeningae 1766. vide etiam S. R. D. BENNERI noſtri notitiam ſalutis, p. I. §. 13. vbi modum impetrandae ſalutis per reuelationem ſupernaturalem nobis innoteſcere debere commonſtrat.

propoſitum eſt. Inde, quae nobis illud rite adhibendi incumbat neceſſitas, per ſe iam liquet. Praeterea S. Scriptura ſatisfactionis huius neceſſitatem maximopere vrget, & ſat clare docet, absque illa reditum ad gratiam diuinam noſtramque beatitatem eſſe impoſſibilem. Plura quidem ad hanc rem probandam proferri ſolent in medium S. S. loca, verbi gratia ex V. Teſt. Leuit. X, 3. Deuteron. XXVIII, 63. Ieſ. I, 24. Hoſ. X, 10. & ex N. T. Luc. XXIV, 26. Ioh. III, 14. Rom. III, 25. ſq. Hebr. II, 10. IX, 22.

Sed quid in his roboris & neruorum ſit, monſtrare hisce paginis non licet, nec libet. Tantum in noſtra diſſertatione dictum Paullinum Rom. VIII, 3. conſiderabimus, & quae in eo latent argumenta probantia, euoluemus. Hic enim locus, vt nos quidem arbitramur, ſufficit, ad neceſſitatem ſatisfactionis probandam.

§. VI.

Priusquam vero verba haec diuini Apoſtoli accuratius examinemus, verumque eorum ſenſum commonſtremus, ad nexum cum iis quae praecedunt breuiter reſpiciendum eſſe iudicamus. Quis viri theopneuſti hac in epiſtola ſcopus fuerit, intellectu non eſt difficile. Apoſtoli iudaizantes omnes neruos intendebant, vt Moſaicorum rituum in eccleſia chriſtiana neceſſitatem propugnarent. Ne vero, quae Romae Chriſto colligebatur, eccleſia aliquid detrimenti ex hoc errore caperet,

peret, beatus apoſtolus ſtudioſiſſime probatum iuit, nullam omnino Chriſtianis ſalutem ex iſtis praeceptis leuiticis ſperandam eſſe; Iudaeos per rituum illorum obſeruantiam neutiquam melioris coram Deo conditionis eſſe, quam ethnicos; vtrosque ſiue ſcriptam ſiue ſolam naturalem habeant legem, peccatis peccatorumque poenis ſeu damnationi obnoxios, omnem felicitatem ex ſola gratia in Chriſto Ieſu expectare debere. c. III, 9. 19. 22. 25. Omnis igitur iuſtitia omnisque ſalus noſtra dicitur, in Ieſu Chriſto ab Apoſtolo poſita, qui eo, quod loco noſtro pro peccatis mortuus eſt, damnationem noſtram, ſuſtulit, iisque qui fide ea, quae pro nobis praeſtitit, ſibi applicant, iuſtitiam coram Deo valentem promeruit.

§. VII.

Luce ſane clarius eſt, totam apoſtoli mentem in hac epiſtola eo intentam eſſe, vt qualicunque legi omnem iuſtificationis vim deneget. Non ſolum enim de Moſaica illa & rituali loquitur, ſed de ea quoque, quam moralem vocamus, cuiusque opus in cordibus ſcriptum eſt. Nam crimina exprobrat gentilibus, quae pugnant cum lege morali Rom. I, 21-32., & eiusdem generis ſunt, quorum Iudaeos reos agit Rom. II, 21-23. Capite III, 10. ſq. autem Abrahami mentionem facit, qui non per opera, quae non ad cultum leuiticum nondum exiſtentem pertinere potuerunt, ſed per fidem iuſtitiam adeptus eſt, & v. 31. legem hanc ſatis luculenter

 definit,

definit, per eam quae non abolenda, ſed potius ſtabilienda ſit &c. Contra omnem iuſtitiam in fide, quae Ieſu Chriſti meritis fruitur, & quidem in ipſa ſola collocat c. V, v. 11. Chriſtus enim obligationes noſtras in ſe ſuſcepit, & tam criminalem quam legalem ſatisfactionem praeſtitit vicariam, c. IV, 25. V, 6-8. 18-19.

Ne vero malae interpretationis anſam praebeat, cap. VI. VII. contra omnem peccandi licentiam, quam forſan aliquis inique ex hac praeſtanti doctrina colligere poſſet, vehementer pugnat. Legem igitur non abolitam, ſed bonam ac neceſſariam praedicat, ex ſatisfactione autem Ieſu Chriſti noſtraque in illum fide, cum iuſtificante tum ſanctificante, maiorem deriuat legis ſeruandae facultatem atque obligationem. Interim tantum abeſt, vt illam implere valeamus, vt potius peccatum & quae ipſi adhaeret, damnationem ex illa luculentius cognoſcamus. His ita expoſitis cap. VIII. tandem toti tractationi laetiſſimam ſubnectit conſequentiam: ȣδεν αρα νυν κατακριμα. a) Nulla in iis, qui in Chriſto Ieſu ſunt, eſt damnatio, qui non ſecundum carnem, ſed potius ſecundum Spiritum viuunt, i. e. non carnalibus iſtis ex

a) το αρα νυν indicat, ex antecedentibus, quae iam veniunt, explicanda eſſe. Hinc quoniam c. VII, non de morte Chriſti expiatoria, ſed de peccato quod in hominibus regnat, egerit apoſtolus, nullam damnationis mentionem, ſed abolitionem potius τȣ νομȣ της αμαρτιας noſtro in loco inueniri putant diſſentientes. Verum enim vero nulla adeſt, a vera vocis notione diſcedendi neceſſitas, quum non

ex corruptione vniuerſali oriundis affectibus, ſed Spiritus S. operationibus obtemperant. Hanc nouae vitae conditionem quo modo adipiſcamur, commate ſequenti demonſtrat: lex enim ſpiritus vitae *b*) a lege peccati & mortis nos liberat, i. e. a neceſſitate ſ. tyrannide peccati ac mortis liberamur praeſtanti illo euangelio, quod nobis Spiritum ſanctum, eius operationes, ac vitam in Ieſu Chriſto praedicat. Condemnauit enim Deus v. 3. peccatum in filio ſuo, & hac ratione tyrannidem illam peccati ac mortis neceſſitatem feliciſſime fregit. Etenim quum legi impoſſibile eſſet, κατακριμα ſcilicet tollere, cui omnes obnoxii eramus, illamque neceſſitatem peccandi ac moriendi auferre, Deus mittendo filium ſuum peccatum in carne filii ſui damnauit, le-

 gisque,

non ſolum ad totam tractationem anteriorem reſpiciatur, ſed in ipſo quoque praecedenti cap. VII, cum regno peccati το καρποφορησαι θανατω & κατεργαζεσθαι θανατον iungatur, quemadmodum v. 2. nectitur νομος αμαρτιας, cum νομω θανατου; nec denique praetereundum eſt, v. 25. Capit. praecedentis Paullum hilari animo tandem concluſionem hanc addere, quod per gratiam in Ieſu Chriſto a morte liberatus ſit.

b) I. D. MICHAELIS per modeſtam coniecturam legit, Spiritus *ac* vitae, qua particulae adpoſitione propoſitionis membra ſimul bene conſpirant; apprime enim ſibi iam reſpondent epitheta & praedicata vocis νομος, ex vna parte lex Spiritus ac vitae, i. e. lex ſpiritualis, quae tendit ad id, vt viuamus in Chriſto, c. l. & ex altera parte lex, quae oſtendit quod peccemus & mortem mereamur. *Introduct. in Nou. Teſtam. p. 631.*

gisque, quae infringi non potuit, rigorem impleuit; hinc condemnatio propter fidem in Christum in nobis cessat. Non condemnat *nos* Deus propter peccatum, sed peccatum in tribunali accusans reiicit, quia in vicario abolitum, ideoque iustitia in iis qui in Christo Iesu sunt, perfecta tandem restituta est. Duo in hoc, in quo iam occupati sumus loco, momenta obueniunt, quorum primum est, satisfactionem a Christo pro nobis praestitam esse, secundum, hanc fuisse necessariam.

§. VIII.

Primum igitur, quod nobis probandum est, in eo consistit, vt de satisfactione hisce in verbis Paullinis sermonem esse, extra dubium ponamus. Continetur id in verbis: ο Θεος τον εαυτυ υιον πεμψας εν ομοιωματι σαρκος αμαρτιας και περι αμαρτιας κατεκρινε την αμαρτιαν εν τη σαρκι. Praecipua & prima, quae *in his verbis* ponderanda sententia est, habetur in verbis κατεκρινεν ο Θεος την αμαρτιαν. Peccatum per prosopopoeiam, qua in capite praecedenti Apostolus iam vsus erat, quasi auctor miseriae ac condemnationis, & reus, coram iudice in ius vocatur & caussa satis cognita, merita condemnatione punitur, & potestate illa dominandi & damnandi priuatur. Vocis κατακρινειν vsus in Sacris litteris admodum frequens est, in primis in hac epistola; nec illa alium vnquam admittit sensum, quam iudicialem sententiam & quidem condemnatoriam ferre, aduersus aliquem iudicare, s. per metonymiam antecedentis pro consequente, poenas in-

infligere; ſententiae enim condemnantis executio fit per poenam ei conformem. Κατακριμα ipſum igitur eſt condemnatio vel poena, effectus nempe τȣ κριματος ſ. τȣ κρινειν, quare ORIGENES etiam voculam κατεκρινεν adaequate expreſſit per εκολασεν. Itaque illa locutio nihil aliud denotat, quam hoc: Deus ſententiam damnatoriam aduerſus peccatum in vnigenito filio ſuo executioni dedit, omnibusque palam fecit, quantum peccati ſit ipſi odium. Poſteaquam igitur in C. I. illud κατακριμα fuit, non amplius eſt in iis, qui in C. I. ſunt, ſed ελευθερωτις potius a condemnatione & νομω, vel a δȣλεια αμαρτιας illis contigit. Declarauit nimirum Deus, peccatum ratione effectuum, & ſententiam ſuam damnatoriam iam ceſſare in fidelibus, quum per mortem Chriſti, iuſtitiae diuinae ſatisfactum ſit. Idem v. 32. licet aliis verbis Apoſtolus dicit: τȣ ιδιȣ υιȣ ȣκ εφεισατο (ο Θεος) αλλ' υπερ ημων παντων παρεδωκεν αυτον, πως ȣχι και συν αυτω τα παντα ημιν χαρισεται. Hinc fideles dicere iam poſſunt v. 31. τις ο κατακρινων;

Nec tamen infitias eo, ad ipſum peccatum ſimul ab Apoſtolo reſpici, quod per hanc condemnationem vim perdidit, tanta tyrannide fideles amplius vexandi. Ea enim, quae Deus in Chriſti carne peregit, & condemnationem & dominium peccati in nobis frangunt.

Valde miratus ſum, D. BAHRDTIVM in verſione N. T. (Neueſten Offenbarungen) debilitationis ſignificatum voci κατακρινειν tribuiſſe, quum tamen graecarum

carum litterarum non expers sit. Was der alten Religion bey den Verderbnissen des sinnlichen Menschen unmoeglich war, das that Gott, und sandte seinen Sohn um der Sünde willen, in der Gestalt eines schwachen Menschen in die Welt, um die Macht der Sünde über den sinnlichen Menschen zu *entkraeften* und uns in den Stand zu setzen, den Forderungen der Religion ein Gnüge zu leisten, als Menschen die nun nicht mehr den Antrieben der Sünde, sondern den Leitungen einer erleuchteten Vernunft gehorsam sind.

Neque apud profanos Scriptores neque sacros huius notionis exemplum habetur, siue ad Matth. XII, 41. 42. & Luc. XI, 31. 32. vbi de Niniuitis in extremo iudicio condemnaturis Iudaeos tanquam suppliciis dignissimos, pariter ac de regina Austri eandem sententiam latura adhibetur; siue ad ea, quae mulieri isti Ioh. VIII, 10. redemtor dixit: ουδεις σε κατεκρινεν; ουδε εγω σε κατακρινω, attendas; siue Ioh. XVI, 11. αρχων του κοσμου τουτου κεκριται conf. c. XII, 31. ο αρχων του κοσμου εκβληθησεται. & Apoc. XII, 10. κατεβληθη ο κατηγορος, quod effectum indicat sententiae condemnantis; siue ad Matth. XX, 18. XXVII, 3. Marc. X, 33. XIV, 63. vbi Pharisaeis tribuitur sententiam damnatoriam in Christum ferentibus; siue ad Paullina verba 1. Cor. XI, 32. κρινομενοι, ινα συν τω κοσμω κατακριθωμεν Rom. V, 16. το κριμα εξ ενος εις κατακριμα in primis in sequenti v. 34. τις ο κατακρινων; siue ad Petrina, 2. Petr. II, 6. vbi de horrenda Sodomorum subuersione vsurpatur,

patur, & ad alia, quae cumulate in S. Scriptura exſtant loca, vocem hanc exprimentia; nusquam debilitationis inuenies ſignificationem, ſed actum iudicis condemnatorium, quare etiam κατακριθηναι tribuitur improbis diuina ſententia iudiciali ac damnatoria feriendis. In hoc vero loco non eſt, quod a vero ac genuino vocabuli ſenſu recedamus, immo alium verba Paullina plane reſpuunt. Apoſtolus enim ſine diſcrimine omnes ſub condemnatione propter vniuerſalem corruptionem eſſe declarauerat, peccatum enim, vt dixerat in anterioribus, & per illud, κατακριμα ſuper omnes venit. Hoc κατακριμα vero in his, qui in Chriſto ſunt, ceſſare contendit: ουδεν κατακριμα, inquit, in fidelibus ſupereſt, & vno quaſi oris halitu rationem huius exoptatae ſortis noſtrae annectit: Deus enim αμαρτιαν, auctorem nempe damnationis condemnauit. An vero id κατακριμα v. 1. etiam debilitationem ſignificare debet? Minime. Tunc enim haberes propoſitionem ſatis inanem & ineptam: Nulla debilitatio in iis eſt, qui in Chriſto Ieſu ſunt.

In tota epiſtola inſuper, quando de poena peccati loquitur Apoſtolus, promiſcue adhibet vocabula αποκτειν, θανατος, κατακρινειν, κατακριμα, cap. VI, 23. VII, 11. V, 18. vt quae Paulli mens ſit, facillime iudicari queat. Loquitur ſane non de debilitatione, ſed de abolitione & extinctione ſententiae damnatoriae ac poenarum.

Nec praetereundum eſt, vocem κατακρινειν per oppoſitionem cum δικαιωματι v. 4. coniungi. ο θεος, inquit

quit Paullus, κατεκρινε την αμαρτιαν, ινα το δικαιωμα τυ νομυ πληρωθη εν ημιν, eadem ratione, qua c. V, 18. verba ſibi reſpondent, κατακριμα και δικαιωσις. Si vero δικαιωμα iuſtitiam perfectam & δικαιωσις actum iuſtificationis denotat, tum vocis κατακριμα vis & notio per ſe liquet. *a*).

§. IX.

Ponamus vero, vocem noſtram Paullinam talem admittere interpretationem, qualem D. BAHRDTIVS illi tribuit, tunc ſane ſenſum, Apoſtoli ſcopo quam maxime haberemus contrarium. Si peccati debilitatio, quam auctor iſte vult, in eo conſiſtit, vt prauitas illa, de qua loquitur Apoſtolus, *omni* vi priuata ſit, ad

a) BAHRDTIVS haec quidem verba ſic interpretatus eſt: uns in den Stand zu ſetzen, den Forderungen der Religion Genüge zu thun: ſed Paullus non de eo loquitur, quod *a nobis* fieri poſſit vel debeat, ſed de iuſtitia legis, quae *in nobis* adimpleatur per ea, quae in Chriſto facta ſunt. Apoſtoli igitur ſententia haec eſt: Lex infringi non potuit, quum vero impoſſibile nobis ſit, poſtulata eius implere, ideoque iuſtitia careamus; per Chriſtum legi ſatisfactum, nobis vero iuſtitia parta, & omnis finis legis in fidelibus impletus eſt. Itaque BAHRDTII ſententia e diametro Paullinae oppoſita eſt. Paullus αδυνατον eſſe, legem implere, ſtatuit: BAHRDTIVS vero legis poſtulatis fideles ſatis facere poſſe, contendit. Νομον religionis vocabulo reddit, quod etiam in programmate, quo orationem ſuam inauguralem indicat, iam tunc philologis praecipere voluit, inani conatu. Quid enim fieret de effato Pauli: dann das der Religion unmoeglich war? Hoc loco manifeſtum eſt, opponi partem vnam religionis, quae eſt *lex* diuina, parti alteri, quae eſt euangelica, & ſatisfactionem Chriſti comprehendit.

ad malas actiones inducendi, homo vero per Christianam doctrinam legi ita obtemperare queat, vt eius postulatis satisfaciat; tunc id ipsum asserturus esset, quod in antecedentibus in primis cap. VII. disertis verbis negauerat, quod in tot S. S. locis clarissime oppugnatur, & quod in ipso nostro dicto impossibile dicitur, quoniam lex per carnem debilitata est Confundit BAHRDTIVS ηθενει cum κατεκρινεν, quorum discrimen admodum planum ac perspicuum est.

Sin autem sensus Viri clarissimi is est: Christus per doctrinam suam & copiosiorem melioremque institutionem sectatoribus suis maiorem facultatem parauit, prauos appetitus compescendi (& haec mihi eius videtur mens esse, in qua SEMLERVM in paraphrasi huius epistolae, praeeuntem habuit) non infitias quidem eo, etiam hunc operis a redemtore nostro perfecti fuisse scopum, praeclarissimumque euangelium ad emendandos mores largissime conferre vires: sed nec illud αδυνατον, nec κατακριμα, cuius cessationem Apostolus demonstrare intendit, hac mentis illuminatione tollitur. Tantum enim abest, vt omne peccatum in nobis auferat copiosior euangelii doctrina, vt potius quam maxime cap. VII. queratur Apostolus, se inuitum immo repugnantem praecipiti quodam impetu rapi ad ea, quae iniqua & nociua cognouerit, & summopere detestatus fuerit: contra πνευματι v. 1. omnem sanctioris vitae fructum tribuit. Remanet igitur

in nobis quamuis melius per euangelium informatis adhuc peccatum, remanet quoque condemnatio peccato adhaerens, quam abolere non in nostra, sed extra nos in Iesu Christi, quem Deus misit, situm est potestate. Non responderent igitur verba haec commati I. si notio modo allata τω κατακρίνειν subiiceretur.

Nihil clarius ac verius esse potest, quam quod haec sit mens Apostoli, vt nimirum omnem propria virtute & iustitia Deum expiandi & salutem recuperandi facultatem & possibilitatem plane nobis deneget, contra merae gratiae diuinae condemnationis abolitionem & veram iustitiam coram Deo tribuat *a*).

§. X.

a) SEMLERVS in paraphrasi ad h. l. κατάκριμα per διακονιαν κατακρισεως 2. Cor. III, 8. illustrat. *Dicitur lex Mosis*, inquit Vir Celeb. διακονια κατακρισεως, *huic non subsunt christiani, non sunt* υπο νομω *itaque c. V, 20. sub lege peccatum creuisse & auxisse dicebatur.* Itaque ηδη κατακριμα εστι penes ipsum idem esse videtur, ac non amplius sub lege mosaica viuere. Sed, 1) etiamsi haec omnia concedantur, tamen vocis vera vis salua manet, & κατακριμα condemnationis notionem retinet; illa enim omnino per legem determinata & sancita, & legis in transgressoribus eius effectus est, qui in mosaicis praeceptis sedulo oculis praefiguratur. Inde igitur non sequitur, κατακριμα idem esse ac legi subesse mosaicae. Quamuis enim lex mosaica omnino peccatum & mortem luculentius declaret, id tamen negotii legi non solum mosaicae sed vniuersim legi diuinae tribuitur. A condemnatione autem, quae peccatum sequitur, non nisi per Christum, cuius satisfactio nobis in euangelio praedicatur, liberamur. 2) Κατακριμα ex contextu & praesertim

§. X.

Nimis arcte locum noſtrum cum immediate praecedenti commate ſecundo, in primis cum verbis ηλευθερωσε με απο τυ νομυ της αμαρτιας και τυ θανατυ cohaerere nonnulli exiſtimant, ita vt totius orationis, quae in commate primo inchoatur, nullam rationem habeant, ac nihil aliud in verbis noſtris cernant, quam declarationem modi, quo a peccati dominio liberati ſimus. Vnde in ſenſum plane a verbis Apoſtoli alienum, ac alienam vocis κατακρινειν ſignificationem incidunt. Clariſſimo vero clarius eſt, virum theopneuſtum condemnationis ceſſationem docere. Monſtraturus, quomodo haec nobis contigerit, rationem adiungit: qui in Chriſto Ieſu ſunt, i. e. per Chriſtum Ieſum, quatenus in illo ſunt. Characterem fidelium adnectit, quem cap. VI. admodum vrgebat his verbis: qui non ſecundum carnem, ſed ſpiritum viuunt. Duo igitur ſunt orationis Paullinae momenta: prius, ablatio condemnationis per Chriſtum; poſterius, vitae emendatio per Spiritus S. operationes, quae ambo inter ſe arctiſſimo cohaerent vinculo, quum poſterius conſequens ſit τυ ειναι εν Χριςω Ιησυ, & fructus fidei in Chriſtum, ex qua nouae vires in fideles proficiſcantur, explicet; vtrumque vero in Ieſu Chriſto rationem ſui habeat. Prius momentum non omittendum eſt. Paullus enim illud non negligit, &

 modum

tim cap. praecedenti explicandum eſt, vbi de morte, effectu & poena peccati ſermo erat, quam poenam in fidelibus ſublatam iam teſtatur Apoſtolus.

modum, quo condemnatio in fidelibus cessat, in loco nostro per id, quod Deus in carne Christi fecit, indicat.

Licet vero nexum cum commate secundo immediatum vrgeas, neque ex hoc tamen alius vocis κατακρινειν significatus consequitur. A lege peccati & mortis liberatos nos dicit Apostolus. Non solum νομον αμαρτιας, sed etiam θανατυ commemorat. Quid νομος αμαρτιας sit, ex capite praecedenti v. 23. apparet, vbi aperte vim illam, dominium ac tyrannidem peccati, qua quasi captiuus ducebatur homo, seu necessitatem peccandi indicat Apostolus. Νομος τυ θανατυ igitur est ex peccato enascens moriendi necessitas. Ab hac necessitate liberati sumus per legem Spiritus ac vitae in Christo Iesu. Lex vero haec nobis concessa est per opus illud salutare Christi, in quo peccatum damnatum est; nam Deus condemnauit peccatum in carne filii sui. Necessitatem moriendi igitur cessare iussit, cessare quoque iussit dominium illud peccati: duplex enim est satisfactionis Iesu Christi fructus, alter liberatio a poenis ac condemnatione, s. Iustificatio, alter vero vitae nouae facultas, s. Sanctificatio.

§. XI.

Nouum vera nostra, quam declarauimus, verborum κατεκρινεν αμαρτιαν sententia, robur accipit, per ea quae Apostolus adnectit verba: εν τη σαρκι. Cuius vero caro intelligenda sit, interpretes dissentiunt. Vel cum

cum κατεκρινε ita iungunt, vt τȣ χρισȣ ſubintelligatur: puniuit Deus peccatum in carne filii ſui; vel cum αμαρτια nectunt, vt elliptica locutio ſit per οικȣσαν ſupplenda. Alii hanc, alii illam praeferunt explicationem, neutra ſenſum Paulli impedit. Sed maiora ac potiora mihi videntur argumenta, quae pro priori militant; quamobrem carnem Chriſti ſubintelligendam eſſe ſatius exiſtimo. Non ſolum verſio arabica, aethiopica, ſyriaca *in carne eius* legit, ſed etiam optime cum toto ſermone Apoſtoli interpretatio haec conſpirat, inprimis cum verbis πεμψας Θεος τον εαυτȣ υιον εν ομοιωματι σαρκος αμαρτιας. *a*) Eum enim in finem ομοιωμα σαρκος αμαρτιας filius Dei habuit, & Paullus eius mentionem fecit, vt in illa damnaretur peccatum, vt quomodo haec punitio facta ſit, eluceſcat. Vſitata praeterea, ſi parallela conſiderantur, haec dictio eſt: Eph. II, 15. την εχθραν εν τη σαρκι αυτȣ καταργησας, 1. Petr. IV, 1. χρισȣ ȣν παθοντος υπερ ημων σαρκι. & in ipſa noſtra Paullina c. VII, 4. υμεις εθανατωθητε τω νομω δια τȣ σωματος τȣ χρισȣ, i. e. per illud quod in corpore Chriſti vel eius carne factum eſt, mors ſ. effectus peccati deſiit in vobis. Mirum igitur non eſt, magis arriſiſſe bonis interpretibus hanc explicationem, quae Chriſti carnem ſubintelligit. Haec vero ſi ita ſunt, nouum habemus argumentum pro ipſa τȣ κατακρινειν, quam in praecedentibus adduximus, ſignificatione. Non ſane in Chriſto & eius carne ob αναμαρτησιαν peccatum vel eius

 vis

a) Theophylactus ad h. l. κατακρινας την αμαρτιαν εν τη σαρκι τη προσληφθειση.

vis debilitabantur, nec debilitari poterant; ſed puniebantur, & per illud, quod in carne Chriſti factum eſt, abolebantur peccati effectus, vt nulli amplius condemnationi in fidelibus locus ſit. Ita Chriſtus *in carne paſſus* 1. Petr. IV, 1. vt *maledictus* exhibetur, *in cruce pendens*, condemnationi legis ſubiectus. Tota ſententia Paullina itaque clara eſt. Verba ſcilicet κατεκρινεν την αμαρτιαν εν τη σαρκι nihil aliud continent, quam hoc: Deus peccata in Chriſto vicario noſtro, puniuit, & condemnationem, cui propter peccata obnoxii eramus prorſus ſuſtulit; inde legis rigori perfecte ſatisfactum fuit.

§. XII.

Hunc condemnationis actum Deo tribuit, qui tanquam iudex peccatum, quod peccatorem damnauerat, per ipſam damnationem plectit. ο θεος, πεμψας τον εαυτου υιον --- και περι αμαρτιας. Quod ad verba περι αμαρτιας attinet, duo praemonenda ſunt, antequam iudicium noſtrum de illis feramus. Alterum eſt, quod apud Patres nonnullos deſit particula και. WETTSTENIVS, MILLIVS & SEMLERVS annotauerunt, CYRILLVM & CHRYSOSTOMVM in allegationibus illam negligere, nec eam in codice Sinaitico legi. SEMLERVS vero in programmate Natalitio a. 1768., in quo de hoc loco agit, prolixe ac docte, nihil exinde contra conſuetam lectionem concludi poſſe monuit. Dicit vir doctiſſimus: *quia nihil habuit* WETTSTENIVS, *quod ex antiquioribus teſtibus afferret, negligentiae ſcribentis librarii iſta omiſſio*

omissio facile tribuebatur. BENGELIVS *certe in apparatu ne quidem operae pretium putauit, vel verbo de hac re admonere. Nos igitur supplebimus hac occasione historiam lectionis: obseruauimus enim* CYRILLVM ALEXANDRINVM *aliquoties excitare hoc carmen sed sine hac particula; addimus etiam testem alium, auctorem homiliae inter spuria* CHRYSOSTOMI *hanc particulam non adferre. Ceterum & hoc verum est, iam* ORIGENEM *sic exhibere, vt in nostris libris excusum est: atque* TERTVLLIANVM *etiam latine, licet paulo aliter describere; scribit enim per delinquentiam cum ceteri latini semper prodant, de peccato, idem vero* CYRILLVS, *etiam alibi non raro, eandem hanc particulam recitat.* Concludit inde, quod ista orationis pars a codicibus quorundam temporum & locorum abfuisse videatur, in plerisque vero, etiam in translationibus locum habuerit. Tota vero phrasis secundum MILLIVM ac WETTSTENIVM in codice Sinaitico deest. Mittimus vero hanc varietatem, persuasi contra lectionem vulgarem, illam nihil omnino valere. *Alterum* quod praemonendum censemus in interpunctione consistit. Alii enim verba περι αμαρτιας ad πεμψας retrahunt alii ad κατεκρινε pertinere asseuerant. Veteres iam hac in re dissenserunt; sicuti Oecumenius ad hunc locum obseruauit. *a*) Totum hunc Oecumenii locum infra describere volui, vt simul,

a) Διχως εστιν εκλαβειν, inquit, η στιζοντας ενταυθα, ινα η, απεστειλεν ο Θεος τον υιον εν ομοιωματι της αμαρτησασης σαρκος, και περι αμαρτιας δε, τυτεστιν

mul, quae in vtraque phraſeos poſitione explicatio apud veteres fuerit, appareat. Haec vero interpunctionis varietas pari modo noſtrae aetatis interpretes ſeiungit.

§. XIII.

Multos hosque eruditione praeſtantes interpretes, v. g. COCCEIVM, DORSCHEVM, WHITBIVM, AMELIVM, SANDHAGENIVM, BAVMGARTENIVM, SEMLERVM, ZACHARIAE &c. variis tamen rationibus commotos, partem hanc ſententiae Paullinae περι αμαρτιας ad πεμψας retrahere, palam eſt. SEMLERVS in programmate citato p. 7. ſequentem in modum interpretatur. *Deus filium ſuum miſit peccati cauſſa, vt frangeret vim dominiumque peccati; quod attinet ad Chriſtianos, vt hi iam non poſſint carere hac facultate, ſuperandi pecca-*

τȣτέστιν ενεκα της αμαρτιας, τȣ εξαραι αυτην και ελευθερωσαι ημας απο ταυτης. Πως ȣν εξηρε; κατακρινας αυτην, ȣ γαρ απλως και εξȣσιαστικως, αλλ' υπο δικην αγαγων αυτην και δειξας αλȣσαν· πως ȣν εαλω και ηττηται; εν τη σαρκι αυτȣ. Προσιεναι γαρ βȣληθεισα και μη ιχυσασα εαλω και ηττηται. η ȣν ȣτως εκληπτεον ενταυθα στιζοντας η συναπτοντας αυτο τοις εφ' εξης, εν ᾗ, και περι αμαρτιας κατεκρινε την αμαρτιαν, τȣτ ιστιν υπερβαλλοντως αμαρτησασαν, οιον ως δια τȣ αγαθȣ το κακον επιτελεσασαν, οπερ ανωτερω ελεγε, καθ υπερβολην αμωρτωλος η αμαρτια. Πως δε τȣτο γεγονε; δια της σαρκος αυτȣ, φησιν, εν τη σαρκι, τȣτ' εστι δια της σαρκος αυτȣ, φησι. Τȣτο γαρ το θαυμαστον οτι δια της σαρκος της παλαι ενοχȣ ȣσης τη αμαρτια κατεκρινεν αυτην. Πως το φυλαξαι δηλαδη αναμαρτητον. Ταυτη γαρ νικησας αυτην και εκολασε. Κολασις δε αμαρτιας η αναιρεσις αυτης, και ȣτω παραδȣναι εις τον Θεον επι αναιρεσει της αμαρτιας.

peccatum. Nam quod attinet ad priſtina peccata, quibus homo obrutus fuit, ante quam in Chriſtum credebat; iſta Deus omnia hominibus condonauit, eiusque rei cauſſa moriendum fuit Chriſto pro nobis, pro peccatis noſtris. Hic vero, quod BEZA *iam vidit,* NICOL. HENNINGIVS *&c. de* ενσαρκωσει *Chriſti agitur, non de Chriſti morte, cuius vim fructumque Paullus iam antea deſcripſerat, c. IV, 22. ſq. hanc humanam vitam Chriſtus ipſe ſic vixit, vt omnino ſanctiſſimum ſe praeſtiterit a).* Eo igitur redit ſententia SEMLERI, vt ſupponatur, neque

D de

a) An HENNINGII ſententia fuerit, hoc in loco, non de morte Chriſti ſermonem eſſe, ex ipſis eius verbis iudices: Obſeruetur hoc loco praeclarum teſtimonium de aduentu Chriſti in mundum, & cur aſſumſerit humanam naturam, videlicet, *vt fieret victima pro peccato, ſeu vt epiſtola ad Hebraeos loquitur vt haberet quod offerret.* En quoque Bezae annotationem ad v. 2. *delentur noſtra peccata Chriſti ſanguine, & tegitur noſtrae corruptionis reatus obedientiae Chriſti imputatione*, ipſa autem corruptio (quam Apoſtolus peccatum peccans appellat) ſanctificationis quidem dono paulatim ſanatur in nobis, ſed alio praeterea remedio eget; nempe ipſius Chriſti carnis perfectiſſima ſanctificatione, quae & ipſa nobis credentibus imputatur. Et ad v. 3. Quoniam legis non ea erat virtus (idque propter naturae noſtrae corruptionem) vt hominem poſſet purum & integrum praeſtare: vt quae morbum certe peccatis potius accenderet, quam extingueret, Deus filium ſuum induit carne huic noſtrae peccatrici ſimili, in qua penitus noſtram aboleuit vitioſitatem, vt in eo per fidem apprehenſo, penitus integri & inculpati habiti, plene comperiamur illam ſummam perfectionem habere, quam lex flagitat, ac proinde nulla ſit in nobis condemnatio.

de morte Christi, neque de eius satisfactione criminali hoc loco sermonem esse, sed potius de incarnatione & vitae integritate, qua peccati vim fregerit, ac dominio illud priuauerit. *Spiritus enim*, inquit, *qui Christum hominem adiuuit, etiam nobis impetratus & promissus est.*

Verum enim vero haec mihi ratio, quod pace Viri Celeb. dixerim, non persuadet, vt illi adsentiar. In iis, quae circa verba κατεκρινε την αμαρτιαν disserui, satis me probasse puto, his verbis vere de Christi morte, ac de eo quod in carne sua passus est, agi. Reliqua quae mihi in verbis SEMLERIANIS minus recte dicta videntur, iam praetereo; in sequentibus enim quae huc pertinent, non nulla monebo. Bene beatus TOELLNERVS in Scripto germanico, de obedientia actiua affirmat pag. 242. non de eo, quod fecit, sed quod sustinuit Christus pro nobis, locum nostrum Paullinum intelligendum esse.

Sunt vero quoque, qui περι αμαρτιας, quamuis non eadem ratione adducti, cum πεμψας construunt. Quod ad Veteres attinet, patet id ex verbis Oecumenii supra citatis: recentiorum autem ita sentientium non paruus numerus est. Hi igitur legunt: Misit Deus filium suum propter peccatum. Locutio igitur περι αμαρτιας (saepius enim περι pro υπερ & apud profanos & sacros adhibetur scriptores) indicat missionis caussam, quae erat peccatum, condemnationem hominibus afferens.

Itaque

Itaque hanc vt auferret condemnationem, filius Dei in mundum intrauit. Quo modo hoc vero praeſtiterit, in ſubſequentibus per κατεκρινε εν τη σαρκι explicatur. Condemnatio enim, quam ſecum trahebat peccatum, quaeque in nobis peccatoribus locum habere debuiſſet, in Vicario noſtro perfecta eſt. Hinc non mirum, permultos egregios & exercitatiores interpretes haec verba περι αμαρτιας per piaculare interpretari. Ipſa non ſolum mens Apoſtoli apprime hac explicatione expreſſa eſt, ſed etiam vſus huius locutionis in Sacra Scriptura priuilegium quaſi huic dedit interpretationi. Perquam tritus ac vulgaris hic ſignificatus eſt vocis περι αμαρτιας. In veteri teſtamento חטאת & חטאת item אשם non ſolum pro peccato ac reatu, ſed pro ſacrificio quoque oblato pro peccatis vſurpantur; LXXII. interpretes vero quam ſaepiſſime, piacularia, αμαρτια, της αμαρτιας, υπερ αμαρτιας, περι αμαρτιας nominant. Exod. XXIX, 14. XXX, 10. Leuit. V, 8. Ieſai. LIII, 10. In nouo teſtamento eadem valet loquendi ratio, τον μη γνοντα αμαρτιαν υπερ ημων αμαρτιαν εποιησεν 2. Cor. V, 21. & in epiſtola ad Hebraeos X, 6. Paullus ex Pſalm. XL, 7. 8. allegat, ολοκαυτωματα και περι αμαρτιας ȣκ ευδοκησας. Simili ratione Rom. III, 24. απολυτρωσις, pretium redemtionis v. 25. ιλαστηριον, propitiatorium, is eſt, per quem propitius nobis eſt Deus, & condemnationem nobis inhaerentem aufert. Tam indubitata atque trita haec ſunt, vt iis diutius immorari nefas ſit: probant autem euidentiſſime, interpretationem, quam ple-

rique in noſtro loco ſecuti ſunt, nihil habere alieni. Commodiſſimum praeterea ac conuenientiſſimum textui, & ſenſui Apoſtoli videtur, verba περι αμαρτιας elliptice θυσιαν περι αμαρτιας exprimere: reſpondent enim locutioni: κατεκρινεν εν τη σαρκι; deinde, σαρκι αμαρτιας, quae de filio praedicatur; denique comparationibus expiationis Chriſti cum ſacrificio, quibus Paullus aliique diuini Codicis Scriptores ſaepiſſime vtuntur. Secundum hanc explicationem igitur Paullus dixit. Chriſtus miſſus eſt, vt victima pro peccato fieret, vel offerretur.

§. XIV.

Interim, qui cum ſequentibus phraſin nectunt, quorum in numero multi, magna quidem fama noti reperiuntur interpretes, melius & aptius ſtatuere ſibi videntur. Hi cum vulgata transferunt: Deus condemnauit peccatum de peccato; intelligunt vero per vocem περι αμαρτιας, ſacrificium piaculare, cuius in §. praeced. mentionem fecimus. Sic explicat MELANCHTHON ad h. l. *Deus damnauit peccatum noſtrum in carne pro peccato i. e. hoſtia Chriſti pro peccato oblata --- hoſtia pro peccato alibi dicitur peccatum, alibi maledictum, ſicut Graeci dixerunt καθαρμα.* Iisdem verbis fere CALVINVS. At HIERONYMVS in Commentario ad h. l. ſic explicat: *de peccato damnauit peccatum in carne, quaſi dicas de hoſte expugnauit hoſtem, ſiue ſicut hoſtias, quas pro peccato offerebant in lege, peccati nomine vocabant, quum ipſae delicta neſcirent: ſicut ſcri-*

ptum

ptum eſt: & imponant manus ſuper caput peccati ſui. Sic & Chriſti, quae pro peccatis noſtris oblata eſt, peccati nomen accepit &c. a).

Verum enim vero iam probe ponderatis, quae vtrimque afferuntur, rationibus, non poſſum non cum iis facere, qui locutionem cum πεμψας conſtruunt. Quamuis enim, qui a contraria parte ſunt, nihil ab orationis ſcopo alienum ſtatuant, tamen naturalem, quem in verbis Apoſtoli obſeruo, nexum absque neceſſitate disrumpunt, & ad ellipſes confugiunt, quae licet ſaepius in ſacris litteris obueniant, vitandae tamen ſunt, vbi absque illis res confici poteſt. Hoc enim pacto vel ad vocem Θεος ſubintelligant, εποιησε: vel ad πεμψας adiiciant ην; vel particulam και deleant, neceſſe eſt. Sed quare hoc artificio vtamur, plane non video. De particula και & vera eius lectione, ſupra iam monitum eſt: quae vero de ellipſi εποιησεν noſtra mens ſit, in ſequentibus exponemus. Nec melius conſulunt rei, qui voci πεμψας, το ην adiiciunt: facilius enim & cum ſequenti κατεκρινε conuenientius Apoſtolus επεμψε dixiſſet, ſi haec fuiſſet mens ſcriptoris. Absque omni hiatu

 plana

a) Interpretationibus nonnullorum Veterum immorari non opus eſt. ORIGENES, AVGVSTINVS, THEOPHYLACTVS, CHRYSOSTOMVS, THEODORETVS, HIPPOLYTVS A LAPIDE, aliique vel perſonam mutant & filio το κατακρινειν tribuunt, quod de patre Apoſtolus praedicat; vel vocem κατακρινειν per *abolere* vertunt, quod tamen vim vocis non exhaurit; vel περι αμαρτιας de peccato Iudaeorum, quo Chriſtum crucifixerunt, intelligunt.

plana ac perſpicua mihi videtur oratio, ſi, quod deinde explicabimus, in verbis αδυνατον τȣ νομȣ propoſitionem completam atque integram ſtatuimus: poſtquam legi impoſſibile erat: altera propoſitio tunc eſt: Deus condemnauit peccatum: ad ſubiectum vero, *Deus*, apponitur: qui filium ſuum miſit in ſimilitudine carnis peccatricis, vel propter peccatum (tanquam piaculare) Interim idem ſemper Apoſtoli ſenſus manet, ſiue hanc ſiue illam amplectaris τȣ περι αμαρτιας conſtructionem, modo ne SEMLERI, quam §. XIII. allegauimus, hypotheſin minus probatam, ſequaris *b*).

§. XV.

Sed ſententiam ad prius momentum pertinentem: πεμψας ο Θεος τον εαυτȣ υιον, εν ομοιωματι σαρκος αμαρτιας perſequamur. Subiectum & medium memorat diuinus Apoſtolus, quibus conſilium reparandae ſalutis noſtrae, eiusque executio tribuitur, quae viribus humanis denegantur. Qua in re gratiam & ſingulariſſimam φιλανθρωπιαν Θεȣ praedicat, ſimul vero eius iuſtitiam. Miſit enim filium ſuum, vt peccatores liberaret; quo facto condemnauit quoque in illo peccatum, vt quantum odium peccati, & quae eius iuſtitia ſit, manifeſtaretur. Noſtrae igitur iuſtificationis ac ſalutis opus mere diuinum eſt, a Deo ſcilicet propoſitum ac perfectum

b) FLACIVS ILLYRICVS in N. T. *Et de peccato* ſiue praecedentibus adiungas, quod miſerit filium in forma carnis peccatricis & de

ſtum. Medium vero, quod ſapientiſſimum Numen huic operi perficiendo adhibuit, tum grauitatem cauſſae, ob quam tantum, vt ita dicam, impendebat ſumtum, tum omnimodam ac plenariam noſtram declarat reſtitutionem.

Diuinam naturam Mediatoris & Vicarii noſtri, qui initium exiſtentiae non cepit, ſed ante erat, quam miſſus fuit, in voce εαυτυ υιον indicari, vberius demonſtrare, hic non opus erit. Chriſtus ab aeterno Deus, vt finem miſſionis impleret, humanam cum diuina ſociauit naturam, re vera non illam quidem peccatricem, ſed peccatrici, qualem nos per natiuitatem, habemus, tantum ſimilem. Αναμαρτητος & ſine culpa eſſe debebat, qui alienam culpam abſtergere volebat. Nulla propria moriendi neceſſitate teneri poterat, cuius mors debebat eſſe vicaria, nec diuina natura, qua cum coniuncta erat humana, peccatum vel prauitatem admittebat. Similitudo tamen huius carnis peccatricis non abeſſe potuit, quum ſine ipſa, condemnatio peccati in eius carne cogitari nequeat. Haec igitur ſimilitudo ab illo κατεκρινε pendet, & illas moleſtias, infirmitates, imperfectiones, quae quamuis non ipſum peccatum, peccati tamen ſequelas efficiunt, continet.

de peccato i. e. vt fieret victima expiatoria (ſic enim crebro verterunt LXXII. vocem חטאת & alias περι αμαρτιας, de peccato aut pro peccato) ſiue etiam intelligas, eum miſiſſe pro peccato: ſiue ſequentibus coniungas, quod damnauerit peccatum de peccato, non adeo multum intererit: Senſus eodem redibit.

net. a) Humana igitur Chriſti natura ita comparata erat, vt poenas peccatorum in ſe ſuſcipere ac noſtro loco ſuſtinere, ideoque morti obnoxius eſſe poſſet, quod ſtatum, quem dicimus exinanitionis, exprimit. Itaque ad ſalutis noſtrae reparationem eiusmodi Vicario opus erat; in quo ſumma maieſtas diuina cum fragili hominum natura coniuncta eſſet. Vtraque enim natura ad ſatisfactionem praeſtandam requirebatur; humana, vt debitas noſtro loco poenas daret redemtor; diuina, vt vi peccatum abolendi polleret, & ſic plena ac ſufficiens eſſet pro omnibus hominibus ſatisfactio.

Haec perſonae conditio nobis commonſtrat, qno modo abolitio peccati, ſeu illa κατακρισις facta ſit, eamque plene factam eſſe, firmiſſime perſuadet, Neceſſariam vero talem expiatoris perſonam fuiſſe, ex illo αδυνατον, ad quod tota Paullina, de qua locuti ſumus, ſententia, relationem habet, conſequitur.

§. XVI.

Extra dubitationis aleam poſitum eſſe puto, hoc in loco de ſatisfactione Chriſti agi, mentemque Apoſtoli

a) Apte THEOPHYLACTVS ad h. l. Πατηρ επεμψε τον εαυτου υιον εν ομοιωματι της σαρκος αμαρτιας τουτ εστι, σαρκα εχοντα ομοιαν μεν κατα την ουσιαν τη ημετερα τη αμαρτωλω, αναμαρτητον δε. Διοτι γαρ εμνηθη αμαρτιας, δια τουτο το ομοιωμα προσεθηκεν. Ου γαρ δη αλλην σαρκα ανελαβεν, αλλ αυτην εαυτην λαβων ηγιασε και εδεφανωσε, κατακρι-

ſtoli eo intentam fuiſſe, vt quomodo condemnatio noſtra, cui propter peccatum obnoxii ſumus, ablata & remiſſionis & gratiae diuinae via iterum ſtrata ſit, nos edoceat. Quot verba, tot fere ſunt huius rei argumenta. Illud κατακρινειν, quod Deo iudici tribuitur; deinde, το εν σαρκι (χριστου); denique perſonae indoles, quae omnes Vicarii noſtri characteres exprimit, propriae beatitatis nullam iacturam facientis, noſtram reparando, diuina natura operi ſuo vim infinitam expiandi, nobis vero perfectiſſimam ſalutis reſtitutae certitudinem conferentis, humana autem natura eaque ſancta & omnis peccati experte ſupplicia noſtra in communione cum diuina in ſe ſuſcipientis. Quae omnia praeclariſſime conſpirant ad eam, quam vindicauimus, demonſtrandam notionem. Nec quid illa verborum combinatio valeat, ſi illum ſenſum ſeponere velis, perſpiciendum eſt. Accedit, quod ſatis luculenter Apoſtolus primo huius capitis commate oſtenderit, ſe de condemnationis abolitione in fidelibus non niſi in Chriſto fundata loqui: ουδεν κατακριμα τοις εν χριστω Ιησου; ſecundo vero verſu de noſtra liberatione a neceſſitate, qua tenebamur, moriendi & peccandi verba fecerit; denique ab illa neceſſitate non niſi per mortem Chriſti & eius ſatisfactionem vicariam nos liberos eſſe noſtro in loco, quem particula γαρ cum antecedentibus coniungit, aſſeruerit.

κατακρινας την αμαρτιαν εν τη σαρκι τη προσλογιωθειση και δειξας, οτι ου φυσει αμαρτωλος η σαρξ.

Proxime quidem eam, quam vocamus criminalem, hic reperimus ſatisfactionem. Attamen haec nec tollit nec excludit legalem, quam actiuam theologi dicunt, obedientiam. Patet hoc *primo*, ex verbis Apoſtoli, το αδυνατον τȣ νομȣ. Impoſſibile legis vero reſpicit neceſſariam eius impletionem. Chriſtus igitur, qui impedimentum ſalutis noſtrae, nempe condemnationem ex transgreſſione legis ortam per illam, quam in carne ſuſtinuit pro nobis, mortem, abolevit, miſeriamque noſtram auertit, neceſſariam ſimul legis impletionem declarauit, eamque tanquam Vicarius noſter praeſtitit. *Secundo* idem elucet ex ſequentibus: ινα δικαιωμα τȣ νομȣ εν ημιν πληρωθη, i. e. vt, non a nobis, (hoc enim impoſſibile erat), ſed in nobis per Chriſtum impleretur legis iuſtitia, ſeu id, quod lex exigit, perfecte praeſtaretur, ideoque ius legis & omne eius promiſſum, quod in perfecta illius obedientia ſancitum eſt, pleno iure noſtrum eſſet, & hinc totus legis finis, qui a nobis impetrari non poterat, per vicarium impetraretur. Lex enim nec infringi nec extingui potuit, quippe quae aeterna in ipſa Dei natura fundata eſt. Nulla ſine ſatisfactione condonatio peccatorum, nec absque merito praemium atque gratia diuina poſſibilis erat; ſed ſatisfactio illa, illudque meritum per Chriſtum atque in Chriſto nobis tribuuntur. *a*)

§. XVII.

a) Δικαιωμα, ZACHARIAE bibl. Theol. part. IV. p. 271. per poenam

§. XVII.

Transeamus ad alterum tractationis nostrae momentum, & necessitatem satisfactionis a Paullo asseri,

 vide-

nam interpretatur, quia LXXII. משפט per δικαιωμα exprimunt, illud vero saepius poenam significat, quare sensus Apostoli esset: vt poena, quam lex neglecta poscit, prorsus ac perfecte soluatur. Ante illum GVSSETIVS in lexico hebraico pari ratione satisfactionem iudicialem a lege postulatam & a Christo sacrificato praestitam, intellexit, merito autem a WOLFIO in curis philol. notatur. PISCATOR eandem interpretationem, sine adducta tamen aliqua ratione secutus est. Nec, quae ZACHARIAE affert, aliquid roboris habent: non enim vnicus ac necessarius τȣ משפט significatus est, vt poenam potius quam legem, iudicium, rectitudinem indicet. Praeterea versio Alexandrina non solum το משפט sed etiam חק per δικαιωμα explicat. Plena vero locutio nostra Num. XXXI. v. 21. legitur חקת התרה quod Graeci verterunt: δικαιωμα τȣ νομȣ. Conferas Luc. I, 6. vbi de ZACHARIA & ELISABETH praedicatur. Πορευομενοι εν πασαις ταις εντολαις και δικαιωμασι τȣ κυριȣ αμεμπτοι. Denique ex Paullo ipso melius ac rectius, quam ex voce hebraica משפט diiudicabitur, quid sit δικαιωμα τȣ νομȣ, nostro praesertim in loco. Capite enim secundo v. 26. & quidem praeter hunc locum, adhuc occurrit: semel tantum η ακροβυστια τα δικαιωματα τȣ νομȣ φυλασσει, vbi quidem non de poena, sed iustitia ac plenitudine legis sermo est. Conuenientius igitur explicat CHRYSOSTOMVS τι εστι το δικαιωμα; το τελος, ο σκοπος, το κατορθωμα. Τι γαρ εκεινος εβȣλετο, και τι ποτε επεταττεν; αναμαρτητον ειναι. Τȣτο τοινυν κατορθωται νυν ημιν δια χριστȣ. και το μεν αντιστηναι και περιγενεσθαι γεγονεν δι' εκεινȣ. το δε απολαυσαι της νικης ημετερον. Vide quoque S. R. D. BENNERI interpretationem, in notit. Salutis pag. 847.

videamus. Το γαρ αδυνατον τυ νομυ, εν ω ησθενει δια της σαρκος, ο Θεος πεμψας &c. Particula γαρ totum noſtrum locum cum praecedentibus nectit. Qualis vero ſit iſta cohaerentia, ſtatim ab initio, & §. X. animaduertimus. Ipſa vero propoſitio ſatisfactionis, quam in parte priori tractauimus, rationem continet, vt inuerſa quaſi periodus ſit, ſic ſe habens: Deus mittendo filium ſuum in ſimilitudine carnis peccatricis, & propter peccatum non ſolum, (tanquam ſacrificium piaculare) in carne eius puniuit ſ. condemnauit peccatum, quia legi ob carnem debilitatae impoſſibile erat, tale quid praeſtare. Id igitur, quod impoſſibile erat legi, ad noſtram vero ſalutem vindicandam neceſſarium, in abolitione condemnationis conſiſtit. Propoſitio haec ab ordinaria nonnihil deflectens, ERASMVM & qui eum ſecutus eſt, LVTHERVM permouit, vt hiatum poſt vocem Θεος ſtatuerent, quem per εποιησεν explendum putarunt. Permultis vero aliis eadem arriſit explicatio. Verum enim vero probe a viris exercitatis & exegetica arte claris obſeruatum eſt, hocce artificio minime opus eſſe. In quibus CAMERARIVS, HEVMANNVS, BENNERVS (*in Notit. Sal. p. 847.*) aliique ſunt, qui locutionem hanc alibi quamuis rarius obuenientem ita interpretantur: *Quum legi impoſſibile fuerit*, vel *quod attinet ad illud, quod impoſſibile erat legi.* Nec quidquam difficultatis remanet, ſi vti antea obſeruauimus, periodum hanc eſſe cauſſalem, eamque inuerſam ſtatuamus. Deus, diuinus inquit

inquit Apoſtolus, condemnauit peccatum δια το αδυνατον τȣ νομȣ, quia impoſſibilitas aderat ex parte legis. Hac ratione clara & facilia ſunt, quae incerta & impedita fiunt per vocabula hic vel illic ſubintelligenda, vel praeter neceſſitatem ſupplenda. *a*)

§. XVIII.

Ad ipſam vero rem quod attinet, τȣ νομȣ αδυναμιαν aſſeritur, id ſcilicet praeſtandi, quod Deus in condemnando peccatum praeſtitit. In quo impoſſibilitas legis ponenda ſit, adeo in aprico eſt poſitum, vt longa & operoſa diſcuſſione ſuperſedere queamus. Proxime enim το αδυνατον ad το κατακρινειν την αμαρτιαν relationem habet *b*), vt totum de ſatisfactione Chriſti decretum contineatur in eo, quod lex poſtulabat, a nobis vero

 prae-

a) FLACIVS ILLYR. in N. T. Verbum illud *fecit* aut *praeſtitit*, facile ſubintelligitur, & ſupplet id etiam LVTHERVS; ſi tamen quis nollet id ſubintelligere; ſatis eſſet ei vltimum verbum: condemnauit.

b) Recte id obſeruauit SEMLERVS in paraphraſi: per legem praeſtari non poterat, liberare nos ab iſta peccati lege, & κατακρινειν την αμαρτιαν. Minus apte in programmate natalitio citato το αδυνατον ad comma praecedens; & ad liberationem a lege peccati & mortis ſolummodo refert: Hoc, τȣτο, (vt ſaepe το ſic capitur) ſcilicet peccatum ſuo iure priuare, me liberare a iure & lege peccati mei, v. 2. maxime prodit, noſtra experientia, legis αδυναμιαν. Deſideratur in SEMLERI aſſertione eadem probatio, quam WOLFIVS

praeſtari non poterat. Frequens legis erat noſtra transgreſſio atque reatus inde exſurgens, quem abolere in noſtra poteſtate non fuit. Impedimentum ideo grauiſſimum noſtra virtute noſtrisque viribus nunquam ſuperandum, obſtabat, quo minus ſalutis compotes redderemur, & hoc gratioſiſſime a Deo ita prouiſum & praecautum eſt, quum in carne filii ſui condemnaret peccatum; quocum verba comm. I. egregie conſpirant: ουδεν κατακριμα τοις εν Χριστω Ιησου. Non in lege eiusque iuſta obſeruantia liberationem a condemnatione, ſed in Ieſu Chriſto, & eo quod vicario nomine redemtor peregit, poſitam eſſe, Paullus contendit. Omne legis ſtudium, quamuis ſecundum caput praecedens maxime neceſſarium, tamen non eo nos perducit, vt peccato & reatu culpae ac poenae vacui eſſe poſſimus, alienoque auxilio non indigeamus. Tandem etiam ex ſubſequentibus clariſſime patet, qua in re legis impoſſibilitas conſiſtat, quando Auctor κατακρισιν factam eſſe dicit, ινα δικαιωμα του νομου πληρωθη εν ημιν i. e. a nobis lex obſeruari non poterat, ideo iuſtitiam per illam impetrare non valebamus: vt vero iſtam ſalutis neceſſariam conditionem adipiſceremur, Chriſtus pro nobis ſatisfecit, cuius iuſtitia per fidem tanquam noſtra fruimur, eaque ratione

FIVS in curis philol. in HERZOGII ſententia, qui idem ſtatuebat, deſideraui. Cauſſam nempe interſerens, nullum exſtare exemplum, articulum το ſimpliciter pro demonſtratiuo τουτο vſurpari, nec cauſſam eſſe, cur illud το ad ηλευθερωσεν antecedens, nec potius ad ſequens κατακρινειν ſit referendum.

tione *in nobis* impletur, quod a nobis impleri non poterat. Ex quibus ſatis luculenter apparet, non difficultatem quandam, aegre & non niſi intentis viribus ſuperandam, ſed ineluctabilem, nobis obſtare legis impoſſibilitatem, quo minus omnis culpae expertes ac iuſti coram Deo reputemur.

§. XIX.

In hac autem propoſitione adhuc alia quaeſtio diſcutienda occurrit: de quanam lege praedicetur illa αδυναμια? Theologi non temere & inconſiderate legis ſtatuunt diſcrimen. Quis enim infitias ire poteſt, eſſe in toto legum, quas in S. S. habemus, ſyſtemate alias particulares, alias vniuerſales; nonnullas Iudaeorum ſtatum eccleſiaſticum, nonnullas politicum, nonnullas denique omnes homines ſpectantes. Illae quidem temporariae erant, & eſſe debebant, cum exitu Vet. oeconomiae & reipublicae Iudaicae exſpirantes, ne ab iis quidem, qui e gentibus ad Sacra Iudaeorum transgrediebantur, omnes ſeruandae. In ſcriptis Apoſtolorum, quamuis diſcrimen hoc expreſſis verbis notatum non ſit, in ipſa tamen re non ſolum ſatis fundatum, ſed eius etiam omnino a Chriſto ac viris theopneuſtis rationem habitam eſſe, manifeſtumeſt. Etenim plane inexplicabilia & contradictione plena forent iſta adſerta, quibus legem modo confirmatam, ſtabilitam, ſanctam & praeclaram, modo inutilem ac abolitam praedicant, Rom. III, 31. VI, 14. &c. VII, 6. 12.

Chriſtus

Christus ipse dicit: se non venisse καταλυσαι τον νομον, αλλα πληρωσαι Matth. V, 17. Sed mittimus iam ea, quae circa legis discrimen amplius disputari possent. Disquiramus potius, de quanam lege Apostolus in nostro loco verba faciat, quod diiudicatu non est difficile. In capite tractationis monuimus *a*) contra iudaizantes doctores, qui scilicet rituum Leuiticorum in Christiana ecclesia necessitatem vrgebant, virum Theopneustum pugnare, atque contendere, illis nullam omnino iustificandi vim inesse, ideoque Iudaeos harum legum virtute gentibus neutiquam praestare.

Sed in hoc non subsistit: de tota enim lege negat, quae de rituali negauerat, omnemque iustificationem, omnibus legis operibus exclusis, non nisi fidei in Iesum Christum tribuit. c. III, 24. 28. Clarissime vero de lege morali loquitur, quando c. VII, 7. de illa praedicat, quod internos peccati affectus prohibeat, v. 14. quod spiritualis sit; cui ipse, quia carnalis sit, morem gerere nequeat, v. 16. quod bona sit; ad quam omnibus viribus annitatur; v. 22. 23. quod illam per omnem modum approbet, eaque, secundum interiorem hominem delectetur, quamuis inuitus contra illam quasi captiuus trahatur, id quod tam moleste tulit; in primis hoc, de quo queritur v. 25. se mente quidem Deo, at carne seruire peccato. Quae quidem ita sunt comparata, vt superiora de illa lege, quam christianis dissuadet, intelligenda esse, nemini in mentem venerit.

Huc

a) Respice ad §. VI. & VII.

Huc accedit, quod in noſtro loco legem per eam definiat, quae carne debilitata ſit, & quam propter corruptionem ac prauitatem inſitam implere non valeamus. Proinde non de leuitica, quam ſane obſeruandi nulla erat impoſſibilitas, ſermonem eſſe, ſatis manifeſtum eſt. Ipſa haec reſtrictio, εν ω ησθενει δια της σαρκος indicat talem legem, quae niſi carne debilitata eſſet, omnino adimpleri, adeoque iuſtitiam nobis comparare potuiſſet.

Legem inſuper deſignat, cuius transgreſſio & inde enaſcens condemnatio ſatisfactionem filii Dei criminalem, reddidit neceſſariam. Tandem probe notandum, quod commate ſequenti effectum ſatisfactionis ſalutarem, per ινα δικαιωμα τυ νομυ εν ημιν πληρωθη exprimat, quod certe non niſi de lege nobis omnino obſeruanda, morali ſcilicet, intelligere fas eſt. Equidem vt iuſtitiam legis Moſaicae nobis procrearet, Vicarius noſter, nec in mundum miſſus, nec ſuppliciis obnoxius fuit. Occurrit eadem haec locutio c. II, 26. vbi ſine dubio iuſtitiam legis moralis, vel eius integritatem denotat, cuius ſepimentum atque cuſtodia in iſtis ritibus Moſaicis, quos Iudaizantes propugnabant, deprehenduntur. Itaque apertum eſt, legem, cui impoſſibilitatem Apoſtolus in noſtro loco tribuit, moralem eſſe, quod tam clarum eſt, vt quid magis verum ac certum ſit, non videam *b*).

b) In apologia Aug. Confeſſ. haec legis notio docetur contra obiectionem Pontificiorum, qui tunc temporis legem caerimonialem cre-

§. XX.

D. BAHRDTIVS, νομον, religionem antiquam interpretatus eſt. Nullam enim quum ſatisfactionis notionem in verbis Paullinis ſtatuat, non potuit non mentem ſuam ita exponere: *id quod in iſta Iudaica oeconomia, per religionem iudaicam impetrari non potuit, nimis enim Iudaei ſenſibus obtemperabant, in noſtra Chriſtiana tandem effectum eſt, in qua per Chriſtum melius inſtituti poſtulatis diuinis ſatisfacere valebamus.* Quae quidem BAHRDTII, at Paulli mens non fuit, qui inter antiquam & nouam illam *religionem* nullum vnquam poſuit diſcrimen. Religio enim, ſeu veritates ipſae, quae ad aeternam quidem ſalutem prouehebant ſui cultores, eaedem ſubobſcurae tamen in Vet. Teſtam. fuerunt, quae in Nouo, cultus externus quamuis diuerſus fuerit, δια της χαριτος κυριυ Ιησυ χριςυ πιςευομεν σωθηναι καθ ον τροπον οι πατερες, eſt ipſius Paulli ſententia Act. XV, 11. Amorem Dei autem & proximi Moſes & Prophetae, Chriſtus & Apoſtoli tradiderunt: ipſe BAHRDTIVS in programmate ſuo *de vera notione vocabuli*

crepabant, ad elidendam eccleſiae noſtrae doctrinam de iuſtificatione. In articulo II. de iuſtificatione, verba ſic habent: *Vocamus legem in hac diſputatione, decalogi praecepta, vbicunque illa in ſcripturis leguntur; de ceremoniis & iudicialibus legibus in praeſentia nihil loquimur.*

b) Non ſolum *Vitringa* ſed plures quoque Theologi hodierni moſaicam hic intelligunt legem, comprehendunt vero ſub hac voce partim totum legis complexum & ritualia & moralia praecepta continentem, partim noſtro in loco ad illam legis partem praecipue reſpici concedunt, quae moralia tradit, vt a noſtra ſententia diſſenſus non adeo magnus ſit.

cabuli νομυ &c. p. 4. hoc intellexit & asseruit. Oppido falsam autem esse talem interpretationem ex iis, quae iusto nexu sequuntur: ινα δικαιωμα τυ νομυ πληρωθη εν ημιν, primus declarat aspectus. Profecto Deus filium suum non misit, & in illo peccata condemnauit, vel vt mauult auctor iste, debilitauit, vt antiquae religionis iustitia impleretur. Non ita indeterminate, ambigue atque obscure, sed distincte Apostolus *de lege* vel in Vetere vel in N. Testam. obuia, loquitur. Eam enim omnibus viribus destitutam dicit; quare κατακριμα, quod lex effecit, in Christo Vicario nostro abolendum erat *a*).

§. XXI.

Αδυναμιαν legis vero non per se vel absolute talem esse, ex adiecta restrictione liquet, εν ω ησθενη δια της σαρκος i. e. quia per carnem fuit debilitata. Etenim εν ω idem quod εφ, ω vel διοτι, *eo quod*, & hebraicae loquendi rationi באשר consimile. Ασθενεια vero apud Apostolum impotentiam denotat, pro hac enim Paul-

F 2 lus

a) SEMLERVS Celeb. hoc vidit in programmate citato, ad verba εν ω ησθενει dicens: in hoc maxime spectatur legis ασθενεια, non poterat, atrox peccandi consuetudo tolli per hanc legem; *partim* haec lex non continet perfectioris virtutis ordinem & regulam, vetat maxime externa illa peccata, quibus publica Israelitarum societas conuellebatur, ad earum tenue ingenium composita est, quod Gal. IV, 9. dicit Paullus στοιχεια ασθενη και πτωχα, itaque ετελειωσε Hebr. VII, 29. *partim si maxime spectetur catholica illa mosaicae legis pars, quam cordibus inscripsisse dicitur, vim tamen simul non inferre, non excitari ipsos istos motus in mente & voluntate, quibus melior & perfectior facultas agendi succrescit.* Addit denique: *hoc non tam est legis ipsius vitium, aut praua indoles, quam hominum infortunium, qui peccandi consuetudine adeo oppressi sunt.*

ſus illam vſurpare ſolet. Penitus igitur excludimur ab operum iuſtitia. Igitur in verbis his comprehenditur ratio, ex qua legis impoſſibilitas colligitur, haec vero ratio eſt σαρξ, naturae noſtrae indoles vitioſa. Hanc enim σαρκι notionem a Paullo, noſtro loco tribui, ex formula κατα σαρκα περιπατειν, κατα σαρκα ειναι, φρονημα της σαρκος, quae ſaepius & in primis in immediate praecedentibus & ſubſequentibus adhibetur, pariter ex praedicatis v. 7. 8. 13. luce clarius eſt.

Itaque lex, ſiue eius ſcopum, quem intendebat, ſiue indolem ac naturam, ſiue motiua ſpectes, iuſtitiam nobis comparare & potuit & debuit. Per ſe neutiquam eſſet inualida neque inepta, niſi per interueniens peccatum vi ſua priuata fuiſſet. Per accidens igitur impoſſibilitas orta eſt. Peccatum, quo genus humanum laborabat, tanta vi legi ſe oppoſuit, vt motiua eius irrita faceret, quam ob rem poſtulata eius adimplere prorſus non valebamus. Hinc nulla eſt legis implendae in iis, in quibus caro eſt, facultas. Quod iisdem fere verbis dicit v. 7. φρονημα της σαρκος εχθρα εις Θεον, τω γαρ νομω τυ Θευ υχ υποτασσεται, υδε γαρ δυναται. Singularis eſt vocis σαρκος in hoc nexu interpretatio, quam BAHRDTIVS *exhibuit*. Senſualem appetitum, animalem hominem vocat ea, quae labem indicant. c. VII, v. 18. *a*) Hinc κατα σαρκα περιπατειν, ſecundum hunc Auctorem

a) Es iſt bekandt daſs in dem (thieriſchen) Menſchen, das heiſst in demjenigen Theile des Menſchen, der aus thieriſchen und ſinlichen Trieben beſteht, jenes zum Guten antreibende Geſez der geſunden Vernunft ſeinen Sitz nicht hat, ſo daſs es ſich deſſelben bemaechtigen koente.

rem, eſt inſtinctus naturales vel appetitus ſenſitiuos ſequi (den Trieben des thieriſchen Menſchen v. 1. den Trieben der Natur v. 5. folgen) κατα πνευμα περιπατειν vero, rationi conuenienter viuere. (Den Leitungen einer erleuchteten Vernunft gehorſam ſeyn), quid ipſi ſit erleuchtete Vernunft, apparet ex v. 5. der Aufgeklaerte denkt und handelt dem Geiſt der Religion gemaeſs, (οι κατα πνευμα οντες τα τȣ πνευματος φρονȣσιν) v. 9. der Geiſt der Religion iſt in euch wirkſam und geſchaeftig, (ειναι εν πνευματι.) Σαρκικον igitur appellat den ſinnlichen Menſchen, πνευματικον den aufgeklaerten *a*). Si vero BAHRDTII interpretatio valeret, Paulli ſententia haec foret: Deus, largiorem pleniorem & ſolidiorem inſtitutionem, quam quae Iudaeis contigerat, per Chriſtum nobis parauit, & per hanc doctrinam Chriſtianam tandem effecit, vt vires impetum effectuum ſenſitiuorum ſuperandi, & rationi conuenientius vitam degendi nacti ſimus *b*). Quae, quomodo Paulli menti reſpondeant, quilibet aequo animo iudicare poteſt. Paucis tantummodo monemus, totam tractationem noſtram, ſatis ſuperque ſingularem hanc interpretationem refutare. Praeterea autem quam falſa ſit, primo ſtatim in-

a) GROTIVS ad h. l. fere idem ſentit: *Caro id eſt carnales Iudaeorum affectus, legis vires retuderant*, quaſi Chriſtianis non amplius inſint tales affectus legi repugnantes. Qui corruptionem vniuerſalem non negaturi ſunt, tale quid hic non offendent.

b) Non difficile eſt cognitu, hanc BAHRDTII mentem eſſe; v. 1. enim κατα πνευμα περιπατειν vertit: Dem Geſez des Geiſtes folgen v. 2. das Geſez des Geiſtes ipſi idem, quod vollkommenere Religion, hanc vero v. 3. opponit der alten Religion.

tuitu perſpicitur. Quis enim inſtinctus naturales & ſenſitiuos appetitus per ſe malos dixerit, quippe qui ad naturam ipſam a Deo creatore nobis conceſſam pertinent? id vero quod in illis malum eſt, corruptionem illam ſeu vitioſam indolem iam ſupponit. Nec purior nec ſolidior informatio, quae nobis per Chriſtum contigit, ſi per ſe ſpectatur, ad eam perfectionem nos perducit, vt legis poſtulatis omnino ſatisfacere, hacque via iuſtitiam acquirere poſſimus. Lex quidem obſcuritate nec laborabat, nec deerant motiua in oeconomia antiqua; ideo non legis ſed noſtrae naturae vitium erat, quod, quo minus illam impleremus, impediebat. Praeclare de hac re CHRYSOSTOMVS, HIERONYMVS, THEOPHYLACTVS, OECVMENIVS &c. commentati ſunt *a*). Nec Chriſtus nec Apoſtolus vnquam

a) THEOPHYLACTVS ad h. l. ο νομος εδιδασκεν μεν, ουκ εδυνατο δε νικησαι το σαρκικωτερον φρονημα. CHRYSOSTOMVS in epiſt. ad Rom. Homil. 13.: ινα μη τον νομον των κακων τουτων αιτιον νομιση τις ειναι, προτερον την υπερ αυτου τιθησιν απολογιαν μετα πολλης της περιουσιας, ου μονον κατηγοριας αυτον απαλλαττων, αλλα και εγκωμιον αυτω πλεκων μεγιστον, και τουτο ουχως αυτος χαριζομενος τιθησιν, αλλ' ως καινην εκφερων ψηφον. Οιδαμεν γαρ, φησιν, οτι ο νομος πνευματικος εστιν. --- Τοσουτον απεχει αμαρτιας αιτιος ειναι, και των γεγενημενων κακων υπευθυνος. Και ορα, πως ου κατηγοριας αυτον απαλλαττει μονον, αλλα και επαινει μεθ' υπερβολης απασης. Πνευματικον γαρ ειπεν, διδασκαλον αυτον αρετης δεικνυσιν οντα, και κακιας πολεμιον. Τουτο γαρ εστιν ειναι πνευματικον, των παντων αμαρτηματων απαγειν. Οπερ ου και ο νομος ειποιει, φοβων, νουθετων, κολαζων, διορθουμενος, τα περι αρετης συμβουλευων απαντα. *Idem* ad h. l. ουδε ειπε, το πονηρον του νομου, αλλα το αδυνατον, και παλιν, εν ω ηθενει ουκ εν ω εκακουργει η εβουλευε, και ουδε την ασθενειαν αυτω λογιζεται, αλλα τη σαρκι, λεγων εν ω ηθενει δια της σαρκος ---- ει γαρ ειαντιος ην ο νομος, πως ο χριστος εις βοηθειαν αυτου παρω-

quam legem naeui arguebant. Quis autem non videt, Paullum in anterioribus non de claritatis & perfectionis legis, non de ſcientiae ſolidioris defectu, ſed de inhaerente peccato, quod meliori cognitioni ſemper renitatur, acerbiſſime dolere. Bona, inquit, quae amplector, non perficio, deteriora vero, quae deteſtor, ſequor & perago. In noſtro autem loco non imperfectionis legem arguit, ſed carnem accuſat, quae legis αδυνατον, alias omnino δυνατον, effecit.

Quis vero ille Spiritus ſit, de quo Apoſtolus loquitur, ex v. 14. abunde liquet. Θεȣ πνευμα, Dei ſpiritus ibi nominatur, a Spiritu noſtro diſcernendus. Noſtra enim anima, ſ. noſter Spiritus a Spiritu Dei excitatur, & vires petere affirmatur v. 25. &c. in praecedenti capite v. 23. de noſtro Spiritu dicit, quod captiuus quaſi a peccato ſemper repugnante ac dominium appetente, teneatur, hic vero de πνευματι ſermo eſt, qui liberos nos reddit a peccato.

Nec melius Auctor ille, in commate ſequenti τα τȣ πνευματος φρονειν, quod σαρκι oppoſitum eſt, interpretatus eſt: genio religionis conuenienter agere. Quis unquam omnibus oculorum armis munitus tale quid in his verbis deteget? Nec de genio nec de religione vmbram habemus. Quid vero in τα τȣ πνευματος φρονειν Paulli mens ſit, ſupra obſeruatum eſt, & ex

παρεγενετο, και το δικαιωμα αυτȣ πληροι, και χειρα ωρεξε κατακρινας την αμαρτιαν εν τη σαρκι; τȣτο γαρ επιλελειπτο, επειδη περ εν τη ψυχη παλαι ο νομος αυτην κατακρινας ην. Iisdem fere verbis vtitur OECVMENIVS ad h. l. pariter ac HIERONYMVS.

ex modo dictis elucet, praetereaque ex oppositione, σαρξ και πνευμα, abunde patet. Nihil aliud per id dicere potuit, quam operationibus diuinis s. Spiritus Sancti viuere conuenienter.

§. XXII.

Conspirat vero BAHRDTIVS, vt mihi videtur cum D. SEMLERO in Paraphrasi huius epistolae Paullinae: "Homines omnes iam σαρκικοι, inquit SEMLERVS, " carebant istarum sublimium rerum & exercitiorum " cognitione; carebant etiam facultate experimen- " torum maiorum, quibus vita ista vera, spiritualis " homini redditur & continuatur. Itaque illa lex " non potuit copiosius & luculentius describere atque " informare perfectiorem hanc vitam, sed ηθικει, me- " diocria tantum & tenuia quasi στοιχεια praecipit. Per " Christum vero, qui vixit sine peccato, accessit πληρωμα " *longe maior & copiosior lex nobis innotuit, quae radi-* " *cem singularium peccatorum conuellit atque mentem* " *noua vi auget, Spiritus noster ipse a Spiritu Dei ex-* " *citatur.*" Ambigue quamuis hoc dicta sint; tamen nihil aliud in verbis SEMLERIANIS video, quam quod Iudaei admodum rudes, legem vero & religionem Iudaeorum nimis tenuem putet, meliorem vero Nouae oeconomiae conditionem solum copiosiori legis institutioni tribuat, quae clariores notiones, & motiua illustriora & validiora nobis suppeditauerit. Quae qualia sint, abunde ex iam dictis appa-

ret,

ret, vt noua disquisitione non opus sit. Istud κατακριμα, quod in fidelibus cessare Paullus affirmat, certe non ea de caussa desiit, quia copiosior legis cognitio, (perfectior enim lex non liberat, sed fortius obstringit) vel quasi perfecta Christianis contigerit eam implendi facultas, vel quia Apostolus nihil *damnationis* iis inesse, contendit: sed quoniam in Christo Iesu sunt, qui istud κατακριμα in se suscepit, & in cuius carne peccatum fuit abolitum. Nihil Paullus in hoc loco affert, ex quo coniici possit Christum missum fuisse, vt perfectiorem instrueret legem, sed vt aboleret damnationem peccati, & legis iustitiam pro nobis impleret.

Nemo quidem negabit, feliciorem esse statum Christianorum quam Iudaeorum, quum nobis maior lux accensa, & doctrina salutaris in primis de Iesu Christo copiosior ac perfectior sine vmbris illis nobis manifestata sit, & sine dubio euangelii pariter ac satisfactionis Christi fructus sit, itemque scopus dominium peccati in nobis auferre, vitaeque integritatem & sanctimoniam restituere v. 1. 2. 4. &c. sed maxima huius euangelii praestantia in eo cernitur, quod omnem iustitiam ad salutem nostram, quam nostris ipsorum viribus impetrare non poteramus, in gratia diuina ac fide nobis apprehendenda ponat; qua de re actum esse in loco nostro, probauimus. Studium vero sanctitatis, tantum abest, vt ideo negligatur, vt potius nouum ex gratiosa Christi satisfactione incrementum capiat,

omnesque vires ſuas ex illa petat. Arctiſſime igitur Apoſtolus cum illa nectit το κατα πνευμα περιπατειν, & de αδυνατω loquens, id quod nobis praeſertim operationibus Spiritus Sancti fruentibus poſſibile eſt, eo magis vrget. Non ſane opus fuiſſet condemnatione Vicarii, qua aſpere vt maledictus tractabatur Galat. III, 17. ſi nihil ab eo praeſtari debuiſſet, niſi informatio melior ea, quae fuerat in V. Teſt. Eam per virum qualemcunque θεοπνευστον, praeſtare potuiſſet Deus Pater, parcendo ſuo ipſius filio. Tota ſalutis humanae oeconomia ſubuertitur ab iis, qui clariſſima Spiritus Sancti oracula tam peruerſis interpretandi artibus corrumpunt.

§. XXIII.

Supereſt, vt concluſionem ſubiiciamus: Neceſſitatem huius ſatisfactionis Chriſti a Paullo aſſeri, extra omnem dubitationis aliam poſitum eſſe. Lex ad ſalutem homini data, iuſtitiae ac ſalutis compotes nos facere & potuit & debuit. Talis enim primaeuus & originarius hominum fuit ſtatus, vt poſtulata Dei adimplendi vires ipſi non deeſſent, & per impletionem legis via ad beatitatem pateret. Sed quod antea poſſibile erat, id triſti naſcendi ſorte, a nobis peccati veneno iam perfuſis, fieri amplius nequit. Legibus obtemperandi ac ſatisfaciendi facultate deſtituti ſumus, ruimus enim per vetitum nefas; proinde nulla a lege ſalus ſed meritae potius expectandae ſunt poenae. Has vero auferre, illamque reparare, noſtrum non eſt. De-

ſpe-

ſperata igitur hominum ſors erat, & miſeria ineluctabilis, remedium vero, ſi tale detur, extra nos quaerendum. A ſola miſericordia Dei peccatorum condonationem quo minus ſperemus, ipſa Dei natura, ſanctitas, iuſtitia, immo bonitas, legis quoque auctoritas, quae infringi non poteſt, impedit. Non enim diuina perfectio in ſola miſericordia, aliis attributis remotis, conſiſtere poteſt. In hac igitur animus vera de Deo, qui malum infinite deteſtatur, notione pollens nondum acquieſcere, nec ex eadem ratione ſibi certe perſuadere poteſt, leuiter Deum tantummodo voluntarios actus peccati caſtigaturum, & poſt quantulamcunque punitionem, ſalutem & beatitatem redditurum eſſe. Quare nec aggratiationi nec acceptilationi locus eſſe poteſt. His etenim poſitis, vitiorum nullum fere frenum, certe nimis tenue, motiua, quae mala diſſuadent, admodum inualida, imperium autem diuinum nec ſanctum nec ſapiens eſſent.

Legis transgreſſio condemnationem generis humani effecit, quam ad auferendam nulla poteſtas humana ſufficiebat. Deus igitur illam aboleuit, ita tamen, vt perfectionibus diuinis conueniret, & ad ενδειξιν δικαιοσυνης faceret, Rom. III, 25. Miſit filium ſuum, qui tanquam vicarius noſter poenas debitas luit, & in carne ſua peccatorum ſupplicia ſuſtinuit, iuſtitiam legis vero in nobis adimpleuit. Carnem ideo habuit noſtrae quidem peccatrici ſimilem, at peccati tamen omnis pla-

ne expertem, qualis vicarium decet, qui nulla propria culpa premi debet; eam tamen, quae pati pro nobis poterat, & cum natura diuina ita coniunctam, vt omnis, cuiuscunque generis condemnatio, perfecte tolleretur. Haec vero ſatisfactio, omnibus Dei perfectionibus quam maxime reſpondet, & ad glorificandam ſanctitatem, iuſtitiam, ſapientiam, bonitatem praeclariſſime facit. Filium vero ſuum mittere, eiusque in carne peccatrici noſtrae ſimili peccata noſtra punire non debuiſſet Deus, ſi a ſola miſericordia, vel leuiori medio quodam ſalus hominum expectari potuiſſet. Declarat denique aperte ſatisfactionem hanc Apoſtolus neceſſariam. Etenim non niſi duas in hac epiſtola ſalutis vias refert, praeter quas nullam ſupponit aliam poſſibilem, alteram legis, alteram miſericordiae diuinae, quam in ſatisfactione Chriſti Deus exhibuit. Priorem impoſſibilem vocat, alteram eo ipſo neceſſariam. Quum enim non niſi duo exſtent media: vno remoto, alterum ita neceſſarium eſt, vt praeter illud iuſtitia ac ſalus noſtra plane ſit impoſſibilis. Nulla igitur absque fide in I. C. qua Chriſti obedientia redditur noſtra, datur ſalus; operum iuſtitia penitus nobis denegatur; χωρις εργων νομου enim iuſtificamur fide Rom. III, 28. ideoque ad Chriſti iuſtitiam, ſine qua nulla eſſe poteſt, eſt confugiendum.